



Melior status in re itinerum, qui esse possit, est quando dominus nonæ & tertiæ, fuerint in prima uel decima liberi ab infortunis, maxime si fuerint cum testimonio Iouis, & tunc non solum prodest in itineribus, sed erit etiam significatio, quod natus erit suæ legis custos, & alios attrahet ad suam fidem.

Dominus domus itinerum si applicat domino ascendenti, natus faciet itinera de quibus non cogitauit. Si e contra, natus multum erit sollicitus in itineribus, & secundum statum significatorum erit ei commodum uel incommodum ex itinere.

Dominus domus itineris si separatur à domino ascendenti, natus cupiet facere itinera, sed impiedetur. Si e contra dominus ascendenti seperatur à domino domus itinerum, natus erit quietus, nec multum laborabit pro lucro.

Sol in domo itinerum, fortunat iter, maxime in signo foeminino.

Iupiter dat profectum & honorem in itinere. Venus hilaritatem, Mercurius secundum commixtionem suam cum alijs, si fuerit in domo itinerum.

Omnes significatores itinerum, uel maior pars eorum, si in aqueis signis fuerint, natus ibit per aquas. In terreis per terram. In quadrupedibus, utetur equis. In humanis pedibus

Mars in angulo, dat multa itinera.

Luna non aspiciens dominum domus suæ, dabit nato labores extra domum suam.

Inter dominos triplicitatis loci Martis, qui fortunatior fuerit, dabit nato prosperitatem ex itinere, in tempore ætatis sibi debito.

Luna si die tertia post natiuitatem applicat Marti, aut fuerit in domo eius uel termino, Marte aspiciente ipsam, natus faciet multa itinera. At si fortunantibus applicuerit, erit bonum in itineribus nati.

Si dominus ascendenti fuerit contrarius ascendenti, & dominus domus Lunæ, contrarius Lunæ, natus habebit multa itinera. Et si fuerit cum hoc fortuna, habebit prosperitatem inde.

Si die tertia post natiuitatem Luna applicat Mercurio, & ipse Mercurius infortunatus à Marte, natus habebit molestias in itinere.

Luna, uel dominus domus eius in occidente, inclinatur ad itinera.

Iupiter dominus nonæ in ascendente uel decima, dat nato in itineribus bonam famam.

Si dominus Solis non aspicit Solem, nec dominus domus Lunæ Lunam, nec dominus ascendenti ipsum ascendens, natus faciet multa itinera sine prosperitate.

Mars in tertia uel nona, infert nato ægritudinem in itinere.

Pars itinerum si Marti coniungitur, & dominus partis contrarius est, uel in contrarijs locis fuerit, natus faciet itinera multa, & infirmabitur in eis.

Luna in nona in die, dat miseriam per totam uitam, & laborem in itineribus.

Quando domini domorum luminarium, & dominus ascendenti fuerint in oppositis suarum domorum, natus non stabit in sua ciuitate, & ex itineribus angustias sentiet.

Si dominus ascendenti in nona, uel dominus nonæ in ascendente fuerit, natus diligit itinera.

Dominus nonæ infortunatus, uel infortunantes in nona, multa decernunt itinera, sed cum labore & damno.

Iupiter in nona combustus uel in suo casu, iter causa abscondita, uel exilium nato significat.

Luna cum Capite draconis, & duabus infortunis in nona, interficietur natus in itinere à prædonibus.

Pars itinerum in una quarta, & dominus eius in alia, signum est multorum itinerum

X iij

nerum